

SESSION 2011

AGRÉGATION
CONCOURS EXTERNE

Section : GRAMMAIRE

VERSION LATINE

Durée : 4 heures

Les dictionnaires latin-français Bornecque, Gaffiot, Goelzer et Quicherat sont autorisés.

L'usage de tout ouvrage de référence, de tout autre dictionnaire et de tout matériel électronique (y compris la calculatrice) est rigoureusement interdit.

Dans le cas où un(e) candidat(e) repère ce qui lui semble être une erreur d'énoncé, il (elle) le signale très lisiblement sur sa copie, propose la correction et poursuit l'épreuve en conséquence.

De même, si cela vous conduit à formuler une ou plusieurs hypothèses, il vous est demandé de la (ou les) mentionner explicitement.

NB : Hormis l'en-tête détachable, la copie que vous rendrez ne devra, conformément au principe d'anonymat, comporter aucun signe distinctif, tel que nom, signature, origine, etc. Si le travail qui vous est demandé comporte notamment la rédaction d'un projet ou d'une note, vous devrez impérativement vous abstenir de signer ou de l'identifier.

Tournez la page S.V.P.

Alors que Pompée vient de quitter le port de Brindes et de fuir l'Italie devant les troupes de César pour gagner la Grèce, Iulia, sa première épouse, lui apparaît en songe (mars 49 av. J.-C.).

Propulit ut classem uelis cedentibus Auster
incumbens mediumque rates mouere profundum,
omnis in Ionios spectabat nauita fluctus :
solus ab Hesperia non flexit lumina terra
5 Magnus¹, dum patrios portus, dum litora numquam
ad uisus reditura suos tectumque cacumen
nubibus et dubios cernit uanescere montis.
Inde soporifero cesserunt languida somno
membra ducis ; diri tum plena horroris imago
10 uisa caput maestum per hiantis Iulia² terras
tollere et accenso furialis stare sepulchro.
"Sedibus Elysiis campoque expulsa piorum
ad Stygias, inquit, tenebras manesque nocentis
post bellum ciuile trahor. Vidi ipsa tenentis
15 Eumenidas quaterent quas uestris lampadas armis ;
praeparat innumeras puppes Acherontis adusti
portitor ; in multas laxantur Tartara poenas ;
uix operi cunctae dextra properante sorores
sufficiunt, lassant rumpentis stamina Parcas.
20 Coniuge me laetos duxisti, Magne, triumphos :
fortuna est mutata toris, semperque potentis
detrahere in cladem fato damnata maritos
innupsit tepido paelex Cornelia³ busto.
Haereat illa tuis per bella, per aequora signis,
25 dum non securos liceat mihi rumpere somnos
et nullum uestro uacuum sit tempus amori,
sed teneat Caesarque dies et Iulia noctes.
Me non Lethaeae, coniunx, obliuia ripae
inmemorem fecere tui, regesque silentum
30 permisere sequi. Veniam te bella gerente
in medias acies. Numquam tibi, Magne, per umbras
perque meos manes genero non esse licebit.
Abscidis frustra ferro tua pignora : bellum
te faciet ciuile meum." Sic fata refugit
35 umbra per amplexus trepidi dilapsa mariti.
Ille, dei quamuis cladem manesque minentur,

maior in arma ruit certa cum mente malorum,
et : "Quid, ait, uani terremur imagine uisus ?
Aut nihil est sensus animis a morte relictum,
40 aut mors ipsa nihil." Titan⁴ iam pronus in undas
ibat et igniferi tantum demerserat orbis,
quantum desse solet lunae, seu plena futura est
seu iam plena fuit : tunc obtulit hospita tellus
puppibus accessus faciles ; legere rudentes
45 et posito remis petierunt litora malo.
Caesar, ut emissas uenti rapuere carinas,
absconditque fretum classes, et litore solus
dux stetit Hesperio, non illum gloria pulsi
laetificat Magni : queritur quod tuta per aequor
50 terga ferant hostes. Neque enim iam sufficit ulla
praecipiti fortuna uiro, nec uincere tanti,
ut bellum differret, erat⁵.

Lucain

Notes : 1. Cn. Pompeius Magnus. 2. Iulia, fille de César et première épouse de Pompée, mourut en donnant le jour à un fils. 3. Cornelia, seconde épouse de Pompée. Elle était auparavant l'épouse de Crassus, qui avait été tué en combattant contre les Parthes à Carrhae, en 53 av. J.-C. 4. Titan, une des appellations mythologiques du soleil. 5. Hexamètres dactyliques.